

non possit definiri. Definitio enim est una. Ratio autem non est una nisi quia unius est rei, ut dicitur in 7 Metaph.

Et ulterius dicitur quod de tali substantia nihil poterit demonstrari, quia definitio subjecti est medium ad demonstrandum passionem de subjecto. Unde cum talis substantiae non sit definitio, non esset medium ad demonstrandum aliquid de ipsa; praecipue cum consequens sit ex dictis, *propositiones, in quibus subjicitur definitio substantiae, competit esse plures, et per consequens non ingredi sillogismum eundem.* Ex praedictis igitur tam rationibus quam auctoritatibus patet quod necesse est ponere unam solam formam in omni substantia. Et quamvis multitudo actuum pluralitatem quandam manifeste inducat non tamen inutiliter haec dicimus quia importunitas quorundam dicentium hanc opinionem esse contra philosophiam, compellebat ut ostenderetur per verba Philosophi quam consona sit suae doctrinae.

DIFFICULTATES EX PHILOSOPHIA

1. Nunc autem restat ut adducantur rationes ad partem oppositam, et dissolvantur. Sunt autem quaedam rationes ex quibus videtur quod praedicta sententia sit contra philosophiam, quarum una est talis: Materia prima primo recipit formam universalem, et postea mediante forma universalis recipit alias formas usque ad individuales, ut dicit Commentator super 1. Metaph. Forma item magis universalis et forma minus universalis sunt divisaec secundum rem, ex quo una recipitur in materia prius quam alia, et simul etiam sunt in eodem individuo. Simul enim Socrates est corpus per formam magis universalem, "et homo per formam minus universalem"; ergo in uno individuo sunt plures formae secundum rem divisaec.

2. Praeterea. In generatione animalis, in embrione prius inducitur anima vegetativa quam sensitiva, et sensitiva, priusquam forma specifica principaliter intenta, quia, secundum Philosophum, embrio prius est animal quam homo. Sed frustra inducerentur si abjicerentur et non manerent cum forma specifica. Si enim abjicerentur, omnes dispositiones accidentales in materia inductae cum eis recederent, et ita forma ultima animalis induceretur in materia prima omnino non disposita, quod est inconveniens.

3. Praeterea. Si in substantia hominis non sit nisi materia prima, et anima rationalis, cum anima rationalis non possit esse forma mixti eo quod forma mixti resultat ex commixtione elementorum, sequitur quod corpus humanum non sit mixtum.

et per consequens nec sanum nec aegrum; et ita perit tota scientia medicinalis.

4. Praeterea. Actio cujuslibet generantis terminatur ad formam substantialem; sed in generatione hominis est generantis actio: ergo sua actio terminatur ad suam formam substantialem sed non ad animam rationalem, quia ipsa est a solo Deo immediate "per creationem"; ergo praeter animam "rationalem", oportet esse in homine aliam formam ad quam terminatur actio naturae.

5. Praeterea. Impossibile est aliquid accidens manere post corruptionem sui subjecti a quo, et in quo causatur; sed recedente anima humana videmus ad sensum accidentia remanere in corpore mortuo, puta eandem quantitatem, figuram, gravitatem, situm partium, et hujusmodi multa circa quae sensus non decipitur cum sint per se sensibilia; ergo remanet subjectum eorum seu idem corpus quod prius, et per consequens eadem forma corporis; non ergo est actu corpus in homine per animam sed per aliam formam.

6. Praeterea. Recedente anima, quod remanet est corpus subsistens: ergo habet formam substantialem, quia sine forma substantiali nihil subsistit: sed non est ibi forma substantialis de novo inducta, tum quia forma substantialis est terminus generationis: ibi autem "nullum", apparet generans et per consequens nec generatio: tum quia generatio est terminus alterationis: ex vivo autem fit mortuum, quamquam sine alteratione praecedente, puta quum ex uno ictu occidit subito "homo interficitur", ergo corpus mortuum est subsistens per formam, quae praefuit in materia simul cum anima rationali.

7. Praeterea. Si in substantia hominis non est nisi materia prima, et anima rationalis, cum materia sit decisa a matre, anima autem sit creata a Deo, sequitur quod homo nihil habeat in se a suo patre, et per consequens non plus atinet patri quam cuiuscunque extraneo, quod est absurdum.

Ad primum dicendum quod cum dicit Commentator, formam universalem primo recipi in materia, et deinde alias, non intelligenda est illa prioritas et posterioritas secundum tempus, sed secundum ordinem naturae. Sic enim dicitur prius illud a quo non convertitur consequentia essendi, sicut universale respectu sui contenti; et ideo non sequitur quod inter formam magis universalem (adde sec. cod. Ot. et minus universalem) sit diversitas secundum rem, sed solum secundum rationem.

Ad cuius evidentiam considerandum, quod omnes formae substantiales tam materiales quam separatae a materia in hac proprietate conveniunt, quod quaelibet dat esse substantiae; et sic constituit ens subsistens, et ideo intellectus noster habet unum conceptum communem de omnibus et abstrahit unam

formam communem secundum quam quodlibet constitutum dicitur substantia, et ista forma dicitur primo recipi in materia, quia secundum istam rationem forma dat esse, quod est subsistere; quod oportet praestelligi omnibus accidentibus.

Uterius, omnes formae *substantiales* sive corruptibiles sive incorruptibiles in hoc conveniunt, quod ad eas consequuntur tres dimensiones, et ideo de eis omnibus habemus unum conceptum communem abstractendo de iis unam formam communem secundum quam quodlibet constitutum per eas dicitur corpus; et secundum istam rationem forma dicitur posterius recipi in materia quam secundum primam rationem, quia sicut dimensiones in subjecto naturaliter praesupponunt "esse subsistens ipsius; ita et forma secundum rationem per quam ad ipsam consequuntur dimensiones, supponit, se ipsam prout dat esse substantiae. Et sic intelligendum est de generibus et speciebus sibi invicem ordinatis, quae non praediciantur de aliquo individuo per formas realiter divisas, sicut putavit Avicbron, sed per eandem formam differentem solum secundum diversam considerationem rationis. Et istud necesse est dicere. Cum enim species sit hoc ipsum quod genus, puta homo est hoc ipsum quod animal, nec animal est pars secundum rem hominis sed pars solum secundum rationem; similiter oportet formam speciei esse ipsam formam generis. Sicut enim abstrahitur genus a speciebus "suis", ita et forma generis a formis specierum. Unde Commentator dicit in primo de anima, quod intellectus facit universalitatem in rebus. Una igitur forma secundum rem est plures secundum rationem, sed magis universalis et minus universalis. Et sic materiam recipere formam magis universalem ante aliam, non est aliud, quam materiam recipere "aliquam", formam secundum unam rationem ante eandem receptam secundum aliam rationem.

Ad secundum dicendum quod generatio animalis non est tantum una generatio simplex; sed succedunt sibi multae generationes et corruptiones. Unde in embryone prius tempore inducitur anima sensitiva, quam forma specifica perfecta quae manet, et ideo prius tempore embrio est animal quam homo; sed illa anima sensitiva corrumpitur, adveniente forma specifica quae manet. Nec ex hoc sequitur quod frustra fuit inducta: non enim inducebatur ut maneret in se anima perfecta, sed ut esset via ad formam perfectam. Sicut enim inter duo ubi distantia, sunt multa media ubi quae necesse est acquirere illum qui transit de extremo in extremum, ita inter formam seminis et formam animalis perfectam sunt quaedam formae mediae quas necesse est successive in materia recipi; quia natura agit per determinata media. Sicut non possent in eodem corpore esse simul duo ubi; nam corpus, cum acquirit unum, amittit

aliud, ita non possent esse duas formae substantiales in eadem materia cum sint ejusdem generis, et ideo materia cum recipit unam formam, necesse est quod amittat aliam. Et sicut corpus motum localiter appropinquat ad ubi principaliter intentum per hoc quod acquirit *media* ubi: haec tamen successive adveniunt et recedunt; ita materia per hoc quod recipit formas ordinatas ad formam perfectam, et dispositiones illarum formarum fit *tandem* disposita ad susceptionem formae perfectae et dispositionum eius. Licet enim priores dispositiones non maneant, *quando* subjectum earum destruitur, tamen quia jam similes sunt illis quae debent manere, necesse est, per actionem agentis, similes consequi formam ultimo inductam; puta cum ex aere fit ignis, inducitur caliditas intensa naturaliter in aere, quae tamen recedit ad corruptionem aeris, cum caliditas intensa naturaliter debet sequi quae maneat cum forma ignis. Et ita est in omni generatione quod semper accidentia communia consequuntur inductam "formam", similia illis quae prius fuerunt. Nec inducerentur nisi similia in materia praexitissent: et ita non frustra inducuntur illa accidentia, licet corrumpantur, quia sine illis nunquam forma principaliter intenta induceretur.

Ad tertium dicendum, quod cum anima rationalis sit actus primus corporis physici organici, oportet quod sicut per ipsam constituitur corpus substantialiter, ita etiam oportet quod per ipsam sit corpus physicum organicum, et per consequens mixtum, et quidquid substantiale est in homine. Nec mirum cum *anima* contineat in se virtualiter quidquid habet quaecumque alia forma perfectior, et adhuc amplius. Nec ex hoc sequitur quod ipsa resultet ex commixtione elementorum. "Ad cuius evidentialiter considerandum est, quod forma mixti cum sit perfectior quam formae elementorum, non potest causari ex elementis mutuo agentibus tamquam ex agentis principali. Nihil enim agit ultra suam formam. Unde formae mixtorum inanimatorum causantur principaliter in virtute corporum caelestium et motuum inferiorum. Unde videmus mixta inanimata habere aliam compositionem consequentem eorum speciem quam non possumus reducere in qualitates elementorum activas et passivas tamquam in causas, puta quod adamus trahit ferrum; et similiter anima animalium imperfectorum quae generantur ex putrefactione principaliter est a corporibus caelestibus. Talia enim propter sui imperfectionem non requirunt ad sui generationem aliquod agens particulare simile secundum speciem. Sed alia est forma mixti perfectior, puta plantae perfectae et bruti perfecti quae ultra virtutem corporum caelestium requirit ad sui productionem agens particulare simile sibi. Unde sicut formae inanimatorum non sunt principaliter ab elementis sed insubstant-

tialiter solum, principaliter vero a corporibus caelestibus, ita talis forma non est creata ex commixtione elementorum nisi insubstantialiter et dispositive, sed principaliter a generante simili in specie quae est planta vel brutum; sed in homine forma mixta, quae est anima rationalis, neutro modo resultat, nec ex actione elementorum, nec ex actione naturae generantis nisi in dispositione tantum. Non enim potest educi de potentia materiae, sed excedit ejus facultatem; et ideo necesse est dicere quod creetur a solo Deo ad constituendum perfectius mixtum quam possit *constituere* quaecumque alia forma.

Ad quartum dicendum quod generatio hominis aliter terminatur ad formam substantialem, quam generatio aliarum rerum. Aliae enim generationes sic terminantur ad eam, quod ipsa naturalia generantia non solum inducunt dispositiones accidentales, sed etiam introducunt formam substantialem per quam generatum assimilatur generanti in specie; sed homo generans materiam sufficienter preparat et disponit ad susceptionem animae rationalis; sed ipsa anima non potest via naturae produci, et ideo actio naturae non terminatur ibi ad formam quam inducit, sed ad quam disponit. Et hoc est rationale quia cum quaelibet forma requirat proprias dispositiones in materia, irrationale est dicere quod in eodem instanti in quo infunditur anima, inducatur via naturae alia forma imperfecta. Si enim tunc primum materia est disposita ad formam imperfectam, nondum est disposita ad animam rationalem, quae est forma perfectissima, et ita oportet dicere quod opus naturae in generatione hominis terminetur ad dispositiones proprias ipsi animae absque inductione alienius alterius formae ad quam terminetur.

Ad quintum dicendum quod hoc esset secundum viam Commentatoris, ut videtur ex verbis suis quod accidentia communia manent eadem numero in vivo et mortuo absque hoc quod manet eadem forma substantialis. Dicit enim I Physic., quod tres dimensiones videntur inseparabiles a materia et esse eadem numero. Et hoc dicit quia non ponit quod illud, quod defert tres dimensiones sit subjectum habens formam in actu, ut existimat Avicenna. In libello etiam suo de Substantia Orbis dicit quod primum eorum quae existunt in materia sunt tres dimensiones quae dicuntur corpus; ubi etiam dicit quod sicut dimensiones manent in generato et corrupto, ita et alia accidentia communia; et si hoc esset verum cessaret illa obiecto.

Sufficeret enim ad identitatem talium accidentium *identitas* materiae; sed quia magis tenendum est quod subjectum dimensionum et aliorum accidentium consequentium sit substantia in actu, eo quod substantia in actu praecedat naturaliter accidens

in actu; ideo dicendum quod illa accidentia non manent in corpore vivo et mortuo eadem numero sed eadem specie: eo quod subjectum non manet idem numero, sicut contingit quando ex vino fit acetum manent similes dimensiones, similis etiam color, similis humiditas in aceto quae prius in vino: nec istud est contra *sensum* quod accidentia dicantur non manere eadem numero. Non enim sensus potest distinguere inter accidentia omnino similia quando sine interpolatione sunt in eadem materia, puta quod color aceti sit alius quam in vino quando vinum mutatum est in acetum. Cuius ratio est quod accidentia numerantur ad numerationem subjectorum, et ideo ubi sensum potest distinguere inter subjecta, et inter accidentia distinguit, ut inter albedinem Socratis et Platonis, eo quod Socrates et Plato apud sensum sunt distincti. Unde et numerus est unum de sensibilibus communibus. Oportet igitur quod ubi sola ratio attingit ad distinctionem subjectorum quod ipsa sola attingat etiam ad numerum vel distinctionem similium accidentium. Hoc autem contingit quandoque in corruptione unius rei quae est generatio alterius, quod sola ratione apprehendi potest quod forma substantialis inducatur quae constituat aliud subjectum. Non igitur ad sensum pertinet iudicare accidentia esse eadem secundum numerum vel non, sed ad rationem solam.

Sed quia mirum videtur aliquibus quod talis organizatio subito possit induci in materia in separatione animae, qualis per longa tempora induta fuit per virtutem patris in semine decisam, ideo advertendum est quod in omni corruptione necessarium est quod illis accidentibus secundum quae non est transmutatio nisi per accidens, scilicet ad corruptionem subjecti, subito similia accidentia adveniant in eo quod generatur. Ex hoc enim quod praexistunt in eo quod corrumpitur, disposita est materia sufficienter ad eorum receptionem. Et cum *nullum* sit aliquid contrarium eis quae praexistunt quod agat in illa nec inducat per consequens oppositas dispositiones, necesse est quod illis maneant omnino similia. Unde nec requiritur ibi aliquid agens particulare quod intendat ea producere nec tempus in quo inducantur.

Secus autem est quando materia est indisposita respectu talium accidentium propter dispositiones oppositas. Tunc enim necessarium est quod materia successive disponatur per aliquod agens quod possit oppositas dispositiones paulatim expellere, et ea quae requiruntur ad eorum inductionem causare sicut contingit in organizatione corporis alienius "animalis", per virtutem seminis. Et ideo dicit Philosophus II de generatione, quod in habentibus symbolum facilius est transmutatio, in quantum scilicet transmutatio in illa non cadit super symbolum nisi per accidens. Quia igitur soluta harmonia corporis omnia accidentia

corporis symbola sunt, ideo ad separationem animae quae causatur ex dissolutione illius harmoniae, necesse est quod talia accidentia remaneant in materia.

Ad sextum dicendum quod in morte animalis quaedam forma imperfecta inducitur in materia; sed quia est via ad dissolutionem et imperfectionem, non oportet ponere aliquid agens particulare quod intendat illam formam inducere. Est enim ordo naturalis inter animam et talem formam ita quod abiectionem animae a materia necesse est talem formam sequi in eadem. Unde Philosophus dicit in VIII Metaph. quod ex vivo fit mortuum sicut ex vino fit acetum, et sicut ex die fit nox.

Quamvis etiam talis forma substantialis resultet in materia, non tamen proprie dicitur esse generatio, eo quod illud a quo est transmutatio est perfectum. Illud autem in quo transmutatum est, est imperfectum et corruptum et praeter naturam. Unde Philosophus VIII Metaph. vocat mortuum, corruptionem vivi.

Quidquid igitur dissolvit harmoniam debitam animae, sive sit calor innaturalis in corpore, sive aliud agens extrinsecum, illud est causa inductionis hujus formae, et propter hoc eadem facilitate qua harmonia debita animae dissolvitur, forma ipsa inducitur. Ipsa enim animae abjectio est ejus inductio. Verum est tamen quod harmonia non dissolvitur nisi cum alia alteratione et illius alterationis forma inducta est terminus. Si autem possibile esset harmoniam subito *dissolvi*, nihilominus illa forma resultaret absque alteratione successiva praecedente. Non enim est talis forma quae antea *particulariter* intendatur per alterationem disponentem materiam, sed est necessario consequens separationem animae sicut forma acoeti sequitur formam vini in materia. Aliquando etiam subito per tonitruum mutatur vinum in acetum; sicut subito vivum fit mortuum.

Ad septimum dicendum, quod in specie humana non est affinitas prolis ad parentes per hoc quod proles jam producta habeat in se *aliquam* formam substantialem derivatam a patre et inductam opere naturae; sed per hoc quod virtus decisa a patre inducit dispositiones proprias ipsi animae, non solum illas quae corrumpuntur, sed illas quae manent cum anima rationali. Unde proles habet affinitatem ad illum solum, tamquam ad suam causam efficientem quantum ad corpus, a quo semen decisum est cum virtute formativa corporis. Licet enim corpus sit actu id quod est per animam, cui conveniunt in materia talia accidentia, non tamen est intelligendum quod organizatio membrorum et accidentia corporis sint effective inducta ab anima, sed effective sunt a generante, sicut calor ignis non est effective a forma ignis geniti, sed est ab igne generante, sicut etiam ipsa forma ignis generative est ab eo. Unde cum cor-

pus prolis nullo modo derivetur ab extraneo sed solum a patre effective, quantum ad dispositiones et lineationes corporis, et materialiter a matre: patet quod proles solum ad patrem et matrem et eorum affines "et non alios," habet affinitatem.

DIFFICULTATES EX THEOLOGIA

8. Adducunt etiam quidam rationes ex quibus videtur quod illa quaestio sit contra sacram Scripturam, et contra fidem, quarum una talis est. Si in homine nihil sit substantiae nisi anima rationalis et materia prima cui unitur, non erit aliquid a quo anima, quae creatur munda, contrahit originale peccatum. Non enim contrahit ipsum a materia prima, quia ipsa non producit in esse, et ita sequitur quod originale peccatum non derivatur a primis parentibus in posteros, quod est haereticum.

9. Praeterea. Corpus Christi fuit idem numero vivum et mortuum: nam ipse Christus dixit in Joanne: solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dixit de templo corporis sui. Idem numero demonstratur per nomen hoc et per nomen illud: sed non potuit idem esse numero corpus nisi per eandem formam numero: ergo eadem forma corporis fuit in ipso vivo et mortuo. Cum igitur post mortem non fuit corpus per animam, (ergo) nec ante: Relinquitur igitur quod fuit corpus per aliam formam, quae simul fuit cum anima rationali in Christo vivo.

Ad octavum dicendum, quod peccatum originale anima contrahit per hoc quod unitur corpori infecto. Corpus autem infectum est per hoc quod derivatur a parentibus infectis. Per potentiam namque generativam patris infectam descendit virtus formativa foetus cum semine; et ideo corpus prolis defectivo est productum per virtutem quae est in semine, in quo est peccatum originale sicut in causa instrumentali. Anima igitur rationalis maculatur per unionem ad tale corpus, cujus organizatio est per virtutem infectam. Licet enim corpus sit *id* quod est substantialiter per animam a Deo creatam, tamen dicitur traductum via naturae propter organizationem quae est a natura, quae quia infecta est, ideo et caro producta ab ea infecta est: et sic anima carni unita maculatur. Non tamen intelligendum est quod peccatum originale sit in carne ut in subjecto. Non enim caro est subjectum culpa sed sola anima, sed in carne est tamquam instrumento. Unde sicut quidam ponentes formam corporis esse aliam ab anima ponunt eam opere naturae productam, et sic anima a corpore maculari; ita et hoc dici potest ponendo formam corporis esse animam per hoc quod